UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. XVI. de Concurrentibus in data.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62377

Visual Library

cere formam, quia omiſſa actus ipſo jure non ſubſiſtit, *text. in Auth. Hoc jus porrectum C. de ſacroſ. Eccleſ. & in l. Cum hi §. ſi prætor ff. de tranſact. Lap. alleg. 86. n. 2. ver. ſufficit enim Felii in cap. Cum cauſſa de Re jud. & c. 2. n. 1. de teſtib.* Facit quod ſtylus Cancellariæ non ſervatus reddit literas ſuſpectas de falſitate *cap. quam gravi, de Crim. falſi. c. ex literis de Conſtit. Rom. Conſil. 326.*

G *Sit reprobata jure*) Errat hic toto Cœlo Alphonſus. Non enim Calendarum ratio, ſed Paganorum ritus & feſta damnantur: Nam tempore publicæ lætitiæ, ut Saturnalium, qui incidebant in XIV. Januarii, lauro & lucernis Romani ædes ſuas ornabant. Unde c. ſi quis 26. q. 7. per Gloſſographum citatum, egregiè deſcribit ritum paganorum, dum inquit: *Si quis Kal. Jan. ritu paganorum colere &c. aut menſas cum Lampadibus, vel epulis in domibus præparare &c.* & in c. præced. ſcribitur, *non licere domos, neq; lauro, neq; viriditate arborum cingere.* Ex quibus patet ritum, non rationem Kalendarum ab Eccleſia damnari. Hunc ritum eleg. deſcribit Juvenalis *Satyra 12.*

*Hic noſtrum placabo Iovem, laribusq; paternis*
*Thura dabo, atq; omnes violæ jactabo colores:*
*Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,*
*Et matutinis operitur feſta lucernis.*

Et Apulejus lib. 4. *Domus tota lauris obſita,*
*Tædis lucida, ſtrepebat hymeneum.*

Nec tamen penitus exolevit illius ſimilitudo, hodieq; viget in Urbe: quod ipſi vidimus diebus publicæ lætitiæ, lucernas nimirum feneſtris ædium apponi, ceu Indices publicæ gratulationis. Sed hæc dicis, & animi cauſſa.

---

## ARGVMENTA IN REG. XIV. INNOCENT. VIII.

1. Motus proprius Papæ quid operetur in gratia Apoſtolica.
2. Motus proprius non tollit jus tertii, etiam ad rem.
3. Motus proprius tollit ſubreptionem.
4. Iſta reg. venit ad declarationem cap. ſi à ſede, de præb. in 6.
5. Motus proprius Legati, vel Ordinarii idem operatur ut motus proprius Papæ, quoad effectum iſtius Regulæ, & n. 29.
6. Jura loquentia de perſonis loquuntur de idoneis.
7. Baccalaureus an dicatur graduatus, & unde dicatur Baccalaureus.
8. Appellatione Doctoris venit licentiatus in favorabilibus, ſecus in odioſis.

9. Licet

Licentiatus impetrans beneficium tanquam doctor ejus impetratio dicitur ſubreptitia.

10. Reg. hæc intelligenda de collatione facta diverſis.

11. Ubi non apparet de prioritate gratiæ gratia eſt nulla.

12. In caſu hujus reg. poſſeſſio dat titulum.

13. Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

14. In caſu iſtius reg. poſſeſſio dat titulum etiamſi ſit colorata tantum.

15. Poſſeſſor cadens à poſſeſſione in caſu iſtius reg. poteſt petere beneficium à quocumq; poſſeſſore etiam habente titulum, quod ſecus in caſu Reg. de Triennali.

16. Præſentes in curia graves injurias ſuſtinent etiam à viliſſimis.

17. Præſens in curia ſi ſit beneficiatus & abſens non ſit beneficiatus, nihilomagis præſens præferetur.

18. Oriundus non oriundo præfertur, ſi tamen ſit idoneus.

19. Qui prius præſentavit literas Apoſtolicas executori, præfertur ei qui nõ præſentavit; quod intellige cæteris paribus.

20. Præſentatio literarum cedit aliis prærogativis de quibus in hac reg.

21. Prærogativæ in hac reg. attenduntur ab ordine litteræ.

22. Quicumq; prærogativatus per hanc reg. præfertur nobili non prærogativato.

23. Vacatio de qua in reg. omnem vacationis modum comprehendit.

24. Effectus motus proprii remiſſivè.

25. Si ad alterius preces gratia ſit conceſſa, an ceſſet effectus motus proprii.

26. Differentia inter clauſulam motus proprii & ex certa ſcientia.

27. Inter proviſos eodem die, proviſus à Papa, cæteris paribus præfertur à legato, vel ordinario; & proviſus à Legato præfertur proviſo ab ordinario, & hic proviſus, aliis ab inferiori proviſis.

28. Limita, niſi proviſus eſſet in poſſeſſione, vel niſi collatio ejus qui prærogativam habet nulla eſſet, vel propter ſubreptionem vel aliam cauſam.

29. Motus proprius Legati vel Ordinarii idem operatur quod motus proprius Papæ, quod ad hujus reg. effectum.

30. Doctor ignarus an gaudeat prærogativa hujus reg.

31. Graduatorum prærogativa qualis.

32. Baccalaurei etymologia.

33. Coloratus titulus ad effectum hujus reg. quis.

34. Titulus coloratus & poſſeſſio colorata quæ.

35. Potior tempore, potior jure.

36. An poſſeſſio inſtrumentalis ſufficiat ad effectum hujus reg.

37. Hæc reg. loquitur de poſſeſſore beneficii qui actu illud detinet.

38. Beneficium non cenſetur poſſidere qui non percipit fructus.

39. Præſentes in Curia qui dicantur ad effectum hujus reg.

40. Non ſufficienter beneficiati an gaudeant prærogativa hujus reg.

41. Beneficiati appellatione an veniat penſionarius ad effectum hujus reg.

42. Regulæ Cancellariæ ſtrictam recipiunt interpretationem.

43. Beneficii appellatione venit penſio, ubi verſamur in materia favorabili.

44. Non

44. Non beneficiatus an præferatur intruſo beneficiato.
45. Oriundus quis ad effectum hujus Regulæ.
46. Diœceſis in jure qualiter accipiatur, & quis Diœceſanus ad effectum hujus reg.
47. Statuta extenduntur ad caſum privilegiatum.
48. Clauſula fin. regulę in reliquis verò; ut intelligatur.
49. Prærogativa acquiſita concurrenti in eadem data per præſentationem litterarum.
50. De prærogativa habentis clauſulam motus proprii.
51. Clauſula motus proprii pleniſſimam recipit interpretationem.
52. In prærogativis hujus Reg. attenditur ordo ſcripturæ.
53. Primus in ordine ſcripturæ dicitur potior in tempore.
54. An prærogativatus hujus Reg. præferatur Cardinali?

# REGULA XV. INNOCENTII VIII.

## *Quæ eſt XVI.* PAULI V.

## DE CONCURRENTIBUS IN DATA SUPER BENEFICIO JUXTA QUALITATEM.

ITem voluit quod de Concurrentibus ſuper vacantibus, ſeu certo modo vacaturis beneficiis, illi quibus gratiæ motu proprio conceduntur, cæteris ſimili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, & inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati; nec non colorato titulo poſſeſſores non poſſeſſoribus, & inter perſonas alias in Curia præſentes non beneficiati beneficiatis, & ſimiliter inter abſentes & cæteris paribus oriundus non oriundo, & diœceſanus non diœceſano; in reliquis verò ſinguli qui prius Apoſtolicas deſuper literas earum Executoribus præſentaverint, aliis in ipſorum de quibus agi contigerit beneficiorum aſſecutione præferatur.

## GLOSSEMA ALPHONSI.

A *IN iſta Regula dicitur, quod quando aliqui concurrunt ſuper aliquo beneficio vacanti, vel certo modo vacaturo, puta per contractum matrimonii Titii, vel per ingreſſum religionis, vel per promotionem &c. tunc ſi ſunt ſub eadem data, ille qui habet motum proprium, præfertur non habenti, & graduatus non graduato; & poſſeſſor non poſſeſſori, & præſens*

præſentis in Curia abſentis; & non beneficiatus beneficiato, & oriundus non oriundo, & diœceſa-
nus non diœceſano: in aliis præfertur ille qui primò præſentavit ſuas literas Executoribus, hoc
dicit, & certè ad tollendum dubia hujus reg. vel ſaltem ad declarandum ea quæ practicantur
in Curia, oporteret hic ſcribere unum quinternionem: ſed ſi ſic facerem, non finirem has reg.
iſto anno: & ſatis eſt mihi quod dem ſapienti cauſſam & ſapientior erit, juxtà c. vides §. ii.
xxxiii. q. 6. & ſuccinctè dicam de qualibet iſtarum prærogativarum aliquid: & primò dico
de motu proprio.

Et in hac prærogativa valde erat dubitandum, quia motus proprius non operatur de jure
ſcripto, niſi id quod reperitur expreſſum hoc dicit gloſ. mihi ſingula bene intellecta in 1
cle. ſi Romanus de præb. & eam alleg. ad hoc Sicul. notanter in c. ſi motu pro-
prio de præb. lib. 6. ergo &c. maximè quia nec tollit jus tertii, etiam ad rem, dicunt DD.
& ſequitur Dominicus in c. ſi tibi abſenti eod. tit. & lib. ſed hic nihilominus ſtatuitur
contrarium, ſcilicet quod cæteris paribus præferatur habens motum proprium alteri non habenti: 2
& poteſt eſſe ratio, quia impinguat gratiam quoad idem comprehenſa ut fiat interpretatio la-
tiſſima ut in c. ſi pluribus eod. tit. & lib. ergo &c. Et ſi dicatur quod non extendit grati-
am, fateor, ut dicit Dominicus ibi & gl. in cle. per literas eod. tit. in verbo directas.
Et reſpondeo quod hic non ampliat, ſed extendit quoad contenta in gratia, ergo &c. & cum
textus loquatur hic indiſtinctè, dico quod etiamſi habens motum proprium haberet alia benefi-
cia, ſatis eſſet quod illa clauſula tolleret ſibi ſubreptionem, & non daret ſibi prærogativam hu-
jus reg. nihilominus dico, quia etiam habet prærogativam, ex quo indiſtinctè loquitur iſta re-
gula, ergo &c. licet in caſu quo tolleret diligentiam proceſſus ſecuudum Doct. c. duo-
bus de reſcript. lib. 6. dixeram hoc legendo illud c. & dedi in ſcriptis quod quando tolle- 3
bat ſubreptionem, non tollit diligentiam proceſſus: tamen in caſu noſtro hujus reg. contra-
rium dico.

Et antequam veniam ad alias prærogativas, dico quod iſta reg. venit ad declarationem c. ſi à
ſede de præb. lib. 6. Ex quo ſequitur quod ſi unus haberet proviſionem Legati motu proprio, & a-
lius eodem die à Papa, quod præfertur habens motu proprio à Legato per hanc reg. Nam motus 4
proprius legati idem operatur ſicut motus proprius Papæ ut not. Jo. de Imol. in d. cle. ſi Ro-
manus & idem crederem de motu proprio Ordinarii in caſu hujus reg. quando exprimitur: quia
non reperio jure prohibitum, quod non poſſit conferre Ordinarius motu proprio, nec quod
non poſſit ſe vocare ſervum ſervorum Dei. 5

Sequitur alia prærogativa, ibi graduati non graduatis &c. & inter graduatos &c.
hoc concordat cum jure communi arg. d. de multa de præb. & dicerem ſalva correctione,
quod iſta reg. intelligatur ſecundum jus commune, ſcilicet ſi graduati ſint idonei. Nam jura lo-
quentia de perſonis, loquuntur de idoneis: ſufficiat l. ut gradatim in princ. ff. de mune- 6
rib. & honorib. & gloſſ. in l. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & in c. Eunuchus l. v.
diſtinct.

Ideò ſi unus Auctor eſt factus à Comite Palatino, ſine ſcientia, qui dicendus eſt potius

dolor quam doctor, tunc non deberet præferri doctor vero ſcholari. & ad hoc faciat gloſſ. l. C.
de an. civil. lib. XI. quæ dicit quod ſcholaris doctus præfertur doctori idiotæ, & [illegible]
in c. clerici de judiciis, intelligat illam gloſſam in diſputationibus & in honoribus, [illegible]
quoad regimen Eccleſiæ arbitror non peccare judicem, qui judicaret hanc regulam ſecundum [illegible]
regulam pro ſcholari docto contra aſinum doctorem. Faciant quæ not. Doctores maximè [illegible]
min. in cap. cum ex eo. de elect. lib. VI. fateor tamen quod ſi concurrens ſecum [illegible]
G ſet ejuſdem doctrinæ, vel æqualiter plus, quod deberet ſervari iſta regula.

Item dico quod licet de jure non reperiatur gradus in ſcientia, niſi doctoratus, vel magiſterium
ut ſundatur in clemen. II. de magiſtris, & facit quod dicunt Doctor. in proœmio VI. ubi etiam dicunt de Licentiato quod potius dicitur ſcholaris quam
doctor: Tamen quoad iſtam reg. crederem quod etiam Baccalaureus maximè factus in [illegible]
dicatur graduatus, cum ter examinetur antequam fiat Baccalaureus, ergò &c. faciat l. I. C.
de elect. lib. X. & idem dico de Licentiato ubique, quia in favorabilibus appellatione [illegible]
venit Licentiatus: Sed non odioſis, ut dicit Dominicus in proœmio Sixti, & Bald. in l.
I. ff. ſol. matr. tamen ſi diſpoſitio loquatur de hoc, non ſufficit eſſe Licentiatum ut dicit Bal.
in l. pen. ff. de milit. teſtam. Dico tamen ad hanc regulam, quod ſi Licentiatus [illegible]
impetraret beneficia tanquam doctor, quod ejus impetratio eſt ſubreptitia: Quia biretum & in-
ſignia ponuntur ſibi, tanquam doctori & non tanquam Licentiato, hoc dicit Jacob. Re.
in l. ſtigmata C. de Fabri lib. XI. Ideò dico quod in hoc caſu etiam ſi concurrens ſecum
non ſit graduatus, præferretur ſibi, licet vellet uti licentiatura tantum contra eum, per prædicta.

Venio nunc ad tertiam prærogativam, ibi, colorato titulo poſſeſſores non poſſe-
H ſoribus &c. hoc etiam concordat cum juri communi, videlicet cum c. à ſede I. reſpon. de præ-
I bend. lib. VI. & debet intelligi iſta regula de collatione facta diverſis: quia ſi à Papa [illegible]
eſſet facta duplex proviſio beneficii, vel à Legato, vel ab Ordinario: tunc ſi non apparet [illegible]
ſet prima, non valeret aliqua ipſarum arg. l. duo ſunt Titii ff. de teſt. tutel. & hoc [di-]
cunt Doctores in terminis illius c. ſi à ſede. tamen Io. de Imol. dicit hoc verum [illegible]
poßideret; ſed ſi aliquis poßideret dicit contrarium: per illum textum: ſed Dominicus [illegible]
hoc verum, quo ad hoc ut poſſeſſor abſolvatur ab impetitione alterius: alias dicit ſecus [illegible]
titulum argum. cap. I. de regul. jur. lib. VI. & ſic videretur in hoc caſu. Sed [illegible]
dicerem quod in caſu hujus regulæ poſſeſſio det titulum, ſicut in caſu dicti cap. ſi à ſede. [illegible]
eſt declaratio Principis qui poteſt jus dare, ergò &c. ſufficiat ſi benè recordor unum dictum [illegible]
Andr. in c. ſi tibi conceſſo de præbend. lib. VI. aliud tamen dicendum putarem in ca-
ſu regulæ infra de triennali poſſeſſore, & hoc per ejus verba, amplius non poſſet moleſta-
K ri &c. & ibi dicam fortè: & ſic ſententiat Rota in caſu illius regulæ. Sed in caſu iſtius regulæ
etiam in collatione duplici facta duobus ab uno, crederem quod ex quo indiſtinctè debet intelligi:
quia ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. l. 3. in fin. cum gloſſ. ff. de off.
præſid. argumen. cap. ſi Romanorum XIX. diſtinct. Et ſic dico quod in caſu hujus
regulæ

regulę poſſeſſio det titulum, etiamſi colorata ſit tantum, alias quod confirmet titulum invali-
dum ut hic & in d.c. ſi à ſede. Nam ex quo titulus erat invalidus utriuſq; ratione dubii ut 14
in d.l. duo ſunt Titii. & in cap. ſi fuerint ff. de reb. dub. ſequitur quod ex quo con-
firmatur ratione poſſeſſionis, quod det poſſeſſio in hoc caſu titulum, vel confirmet, & ſic beati quã
tenebunt ut dicit gloſ. quam not. ibi Bald. in extractis feudorum, in c. 1. de pace
tenenda §. ſi tres coll. x. Ex quibus infero, quod poſſeſſor cadens à poſſeſſione in caſu iſtius
regulę poteſt petere beneficium à quocumque poſſeſſore etiam habente titulum; quod non poſſet fa- 15
cere in caſu regulæ de triennali, ut practicat Rota.

Venio nunc ad quartam prærogativam, in qua dicitur quod præſentes in curia præfe-
runtur abſentibus, &c. Iſta prærogativa eſt præter jus, ſed tamen toleratur jure, facit
l. 1. C. de caſtren. omnium palatino, pecul. lib. XII. ibi, quid enim tam ex ca-
ſtrenſe eſt, & ibi, nec alieni enim ſunt à pulvere & labore caſtrorum &c.
& facit illud vulgatum: Is gradus cæteros antecellit &c. Præmaximè quia præſentes in cu- 16
ria graves injurias patiuntur à viliſſimis hominibus: Quod graviter ferendum eſt. arg. auth.
habita. C. ne filius pro patre & ideo quia iſta regula loquitur indiſtinctè, crederem
quod ſi Ordinarius in partibus contulit beneficia exiſtenti in curia & Papa alteri abſenti in parti-
bus, concurrunt eodem die, ne obſtet c. ſi tibi abſenti. De præbend. lib. VI. vel ordinarius
exiſtens in curia contulit exiſtenti in curia, quod poteſt facere ſecundum Innocen. in cap. quia
diverſitatem de conceſſione præbendæ. in fin. quod tunc ſi eadem die fuit facta collatio
Ordinarii & Papæ, præfertur ille qui eſt præſens, alteri abſenti, etiam ſi habuit beneficium à
Papa, per hanc regulam.

Venio ad quintam, ubi dicitur quod non beneficiati beneficiatis, & inter præ-
ſentes & abſentes &c. Iſta particula debet intelligi referendo ſingula ſingulis, facit gloſ.
in c. ſi quis pecunia juncto text. LXXXIX. diſt. Ita quod ſit ſenſus, quod inter præſentes
tantum præferatur non beneficiatus beneficiato; & inter abſentes tantum præferatur non benefi-
ciatus beneficiato· & non debet intelligi quod etiamſi unus ſit præſens, & alter abſens, quod 17
non præferatur beneficiatus, &c. ideò infero quod ſi præſens in curia ſit beneficiatus, tamen ab-
ſens non eſt beneficiatus, quod etiam præſens debet ſibi præferri, per hanc regulam.

Venio ad ſextam prærogativam ibi, & cæteris paribus oriundus non oriundo &
Diœceſanus non Diœceſano &c. & quoad iſta duo reperiuntur jura varia. Nam in
c. fi. de cle. peregri. cum gloſ. idem quaſi diceret & in c. hortamur. lxxi. diſt. cum glo. ſed gl. in
cap. ad decorem. de inſtit. vult contrarium. Et Abb. tenet pro ſua parte & gl. in c. ſi propo-
ſuit. de reſcript. quam not. Abb. ibi, & intricatè loquitur. & Anto. mordet eam. Quicquid
tamen ſit, ſatis eſt, quod oriundus non oriundo præfertur, ut hic, quod intelligo verum, ſi ſit
idoneus ut ſupra dixi, alias ſecus, ut vult Abb. in 1. c. ad decorem & idem eſt Diœceſano,
per jura allegata ſuperius.

Venio ad ſeptimam prærogativam ibi: In reliquis verò. Vbi dicitur quod in 18


omni-

*omnibus aliis quam ſuprà dictis debet attendi præſentatio literarum: nam qui prior eſt tempore*
*potior ſit jure* c. qui prior de reg. jur. lib. 6. *& in hoc eſt advertendum* : *quia iſte §.* ...
S *hoc eſſe verum ceteris paribus ut ibi* reliquis veró &c. *Ex quo ſequitur quod omnes ſuperius*
*prærogativi tollunt diligentiam proceſſus, id eſt, præſentationem litterarum per locum à ſpecial.*
arg. c. præſenti §. loca cum gloſ. ſua de præb. lib. 6. *Ex quo infero quod habens motu*
T *proprio collationem ſibi factam, præfertur non habenti etiam diligentiori in proceſſu.*

*Item ab ordine litteræ dico idem fore de omnibus prærogativis ſuperius nominatis; ex quo*
*tiam infero, quod etiam graduatus non oriundus, & etiam abſens, præfertur in vacantibus, vel*
U *certo modo vacaturis, præſenti in curia oriundo, & etiam diligentiori in proceſſu, per hanc reg.*
*licet tria vincula vincant unum* arg. c. 1. de treu. & pace & Authen. ſic itaq; C. com-
munia de ſucc. *tamen iſta reg. tollit omnes alias prærogativas* : *& ſic dico de omnibus prero-*
*gativis ab ordine litera ſuperius nominatis* , *& advertendum quod omnis nominativus hic*
*poſitus regitur ab iſto verbo* præferatur *poſito in fine ergo, ex quo componuntur ſub uno con-*
*ſtructo* , *pariformiter debent omnia intelligi juxtà doct. Bart.* in l. talis ſcriptura ff. de
X leg. 1. & in l. prætor ait §. eritq; differentia ff. vi bono rapto, *ex quo infero, quod*
*quicumq; hic prærogativatus præfertur nobili non prærogativato. Nam ſi Papa voluiſſet facere*
*mentionem de nobili, expreſſiſſet* arg. c. ad audientiam de deci. *nec video quod in iſto cen-*
*ſeatur prærogativa nobilitas de jure. Nam c. de multa, tantum loquitur de diſpenſatione facien-*
*da, ergo &c.*

---

## COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

REgulam hanc amplam & utilem continere materiam & multiplices effectus
ſcribit Quintil. Mandoſ. *in proem. hujus reg.* qui cum ego ſentirem, niſi ...
effectus favoribus quandoq; concideret. Ut enim venti naves, ſic favores ...
rumq; mentes hominum movent. Unde apud Nepotianum querebatur Hiero-
ny. *Multi ædificant parietes & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt* ; *marmora nitent* ; *auro*
*ſplendent laquearia* ; *gemmis altare diſtinguitur* ; *& miniſtrorum Chriſti nulla electio*
*eſt.*

*Certo beneficio vacante*) His verbis omnes ſpecies vacationum comprehenduntur.
A Vacatio n. ſimpliciter prolata, omnem vacationis modum comprehendit *c. ex p.*
1. *de off. de leg.* ubi gratia ad vacatura venit etiam vacatio per reſignationem poſteà
factam *gl. in c. cupientes in pr. de elect. in 6. & in c. ſi propter de reſcript. d. lib. Gem. & Phi-*
B *lip. Francus in c. ſuſceptum de reſcript. in 6.*

*Alteri non habenti* ) Ita etiam ſentit Jo. Andr. *in cap. duobus col. 3. num. 6*
Alios effectus motus proprii vide apud Rebuff. *in Concord. in form. Mand. Apoſt. 24*
*in verbo motu proprio* & Gabrielium *lib. 6. com. concluſ. titul. de Clauſulis Concluſ. 3*
*DD. in cap. ſi Motu proprio de præb, in 6. & in Clem. ſi Roman. Pontifex eod. tit. Item*

*Conſ.* 327. *col. fi. n.* 9. *& ſeq. & Conſ.* 376. *n.* 5. An autem ad excludendum motus
proprii effectus opponi poſſit quod ad alterius preces gratia ſit conceſſa, vide
*Bal. in c. niſi ſpecialis col. pen. de off. deleg.* ubi reſolvit pro negativa, quam probat & 25
ſequitur Rebuff. *in praxi tit. de clauſulis mandatorum n.* 21. *& ſeqq.* quid autem inter-
ſit inter clauſulam motus proprii & ex certa ſcientia quoad effectum hujus reg.
videlicet, an is qui hanc habet, præferatur habenti motum proprium, aut hunc
habenti præferatur is qui habet clauſulam de plenitudiue poteſtatis vide Mand. 26
*ad reg. xvi. q.* 5. 6. *&* 7.

C *Tolleret ſibi ſubreptionem*) *Text. in cap. ſi motu proprio de præb. in* 6. *Rota deciſ.* 6. *&*
7. *de præb. in no. Mohedan. deciſ.* 7. *n.* 2. *& deciſ.* 9. *n.* 4. *de privileg. Puteus deciſ.* 386.
*n.* 5. *lib.* 1. *Staphil. de lit. grat. tit. de vi & effectu Clauſularum* §. *ſubſequenter.*

D *Eodem die à Papa*) Niſi ille proviſus à Papa habeat etiam clauſulam motus pro-
prii, vel illam neuter habeat. Nam inter proviſos eodem die, proviſus à Papa
cæteris paribus præfertur Legato *c. ſi à ſede ibi gl.* 1. *ibi quid dicet & ibi Gemin. col. fi. n.*
9. *de præb. in* 6. multo magis præfertur ordinario *d. c. ſi à ſede* §. *ſi verò neuter Mob.*
*deciſ.* 122. *Incip duo erunt Put. deciſ.* 4. Ità proviſus à Legato præfertur proviſo ab 27
Ordinario qualiſcumq; ſit is Legatus. *Mandoſ. ad reg.* 16. *n.* 6 & proviſus ab
Epiſcopo, proviſo ab inferiori, qui habet collationem ex præſcriptione ſeu pri-
vilegio non privativè ad Epiſcopum, ſed ita ut ſit locus præventioni, *Gemin. in d.*
*c. ſi à ſede n.* 5. *Mandoſ. d. loco n.* 8. Limita tamen prærogativam ceſſare, quando
proviſus à quocumq; eſt in poſſeſſione, quia primò attenditur poſſeſſio, deinde
prærogativa, *d. c. ſi à ſede ut poſteà dicemus.* Limita ſecundò, niſi collatio ejus qui
prærogativam habet, nulla eſſet, vel propter ſubreptionem, vel obreptionem, vel
quia obſtaret reg. de veriſimili, vel ex alia cauſſa: quia tum alterius præferenda
eſſet collatio *Gonzalez ad reg.* 8. *Cancell.* §. 3. *proemii n.* 144.

E *Jure prohibitum*) Idem notat gloſſ. *in c. fin. de off. leg. lib.* 6. *in verbo Mentio.*
Philip. Francus *in c. ſi poſtquam in* 1. *not. de præb. in* 6. ait, quod ubi idem operatur
d. Clauſula appoſita ab Inferioribus, ac ſi eſſet appoſita à Papa; quod & probat
Rebuff. *ad Concord. in for. Mand. Apoſt.* 29. *effectu*, ubi dicit eſſe communem. 29

*Sint idonei*) Imò Doctorem & graduatum vix primoribus labris imbutum
F Jurisprudentia, Doctorum privilegiis gaudere, & ſub hac reg. comprehendi
multis auctoritatibus probare conatur. Mandoſ. *ad reg. xvi. q.* 13. *n.* 4. motus
ratione & auctoritate Fran. de Aret. & felini *in c. Clerici de judi.* ne nimirum (quo- 30
ad effectum hujus reg.) etiam doctiſſimi cujuſq; ſcientia in dubium revoce-
tur, poſſet n. concurrens in beneficio alteri vel eruditiſſimo objicere, Tu es in-
doctus, neque iſto gradu dignus, atque ita ut videtur inconveniens, ſatis eſt
ut ſit idoneus.



Cæte-

Cæterum quod hic in reg. dicitur, inter graduatos præferri magis graduatos, diverſum habet intellectum: videlicet primò, ut exiſtens in gradu ſuperiori præferatur in gradu inferiori, veluti Doctor Licentiato, Licentiatus Baccalaureo. Secundò ut in eodem gradu exiſtens præferatur graduatus in majori, digniori vel potiori profeſſione, ſeu ſcientia, ut Doctor in Theologia præfertur Canoniſtæ & Legiſtæ, & Legiſta Doctori artium, vel medicinæ, tametſi ſit qui præferat, & meritò, Canoniſtam Theologo, niſi tamen in loco eſſet hæreticis infecto in *d. c. clerici n.* 5. Tertiò, ut is præferatur, qui in pluribus ſcientiis verſatus eſt, puta in utroq; jure graduatus, ei qui in altero tantum gradu promotus eſt. Quartò ut is præferatur, qui fuit graduatus à majorem poteſtatem habente, veluti à Papa graduatus, vel Imperatore, graduato à Rege vel inferiori. Quæ ſingula latè proſequitur Mand. *q.* 15. quem quoque ſi uſus poſtulat vide *q.* 17. 18. *&* 19. quibus in locis eam quoq; hujus reg. partem examinat, qua ſtatuitur inter inæquales graduatos præferri prius graduatos.

G *Baccalaureus*) Etymon hujus nominis rectè Alciatus *in l. Cui præcipua* 57. *ff. de verb. ſign.* à Bacca lauri, utpote qui mereatur lauri baccas, non autem ipſam laurum, ſeu lauream coronam, quæ doctoribus tantum reſervatur.

H *Colorato titulo*) Coloratus titulus dicitur ad effectum hujus regulæ, ubicumque non inducitur privatio ipſo jure, etiam quod ſit defectus in conferente, per ea quæ tradit Mandoſ. *ad reg.* 16. *quæſt.* 27. Alias, titulus coloratus, vel poſſeſſio colorata dicitur, quæ habetur ex titulo conceſſo ab illo, qui poterat conferre, licet propter defectum recipientis, vel aliam ſimilem cauſſam titulus fuerit minus juſtus *per text. in c. cum noſtris de Conceſſ. præb. ubi Joan. ab Imola num.* 23. *de Renunciat. & ibi Abb. num.* 23. ububi conſtituit hanc regulam quod ubicumq; defectus non eſt in conferente, nec inducitur privatio à jure, vel ab homine, talis poſſeſſio ſit colorata; aut ſi defectus fuit in conferente, ſaltem ſupervenit confirmatio ſuperioris *ex c. quia diverſitatem de Conceſſ. præb.* Quam regulam latè declaratam & limitatam habes apud Maſcardum *tract. de probat. concl.* 1384. *per tot.*

I *Cum jure communi*) Etiam civili: quo jure poſſeſſor præfertur non poſſidenti juxtà reg. juris, in pari cauſſa, quo in loco infinita eſſe commoda poſſeſſionis, infinitis prope auctoritatibus notat Cagnolus *ad d. reg. in pari* quibus adde Cottam *in memor. in verbo poſſeſſionis commoda.*

*De Triennali*) Vide Maſcard. *de probat. d. concl.* 1384. *incip. quomodo tituli color. n.*

K 15. *& ſeqq.* & dicam infrà *ad reg. de Triennali.*

*Det poſſeſſio*) Quid in poſſeſſione inſtrumentali: num illa ſufficiat ad effectum hujus regulæ? Poſſeſſio inſtrumentalis eſt illa, quæ reali, & corporali contraria eſt, quæ nimirum per executorem gratiæ Apoſt. datur Notario, parte abſente, abſentis nomine: vel illa inſtrumentalis dicitur poſſeſſio, quæ reſultat ſi

expro-

ex probatione facta, ſeu facienda per inſtrumentum. Modo ad propoſitam quæſt. quid juris? Mandoſ. *q.* 22. una diſtinctione illam ſolvit : quod aut concurrunt poſſeſſor realis, ſeu corporalis, aut poſſeſſor inſtrumentalis: & tunc ille hunc vincet, ſi inſtrumentalis poſſeſſio fuit facta illo exiſtente in poſſeſſione, *Caſtren. in l. ſi patet, ante n.* 3. ubi, quod poſſeſſio non probatur per æſtimum quando apparet alium fuiſſe in poſſeſſione *C. de act. emp.* Aut verò concurrunt inſtrumentalis poſſeſſor, & nullo modo poſſeſſor : & rurſus diſtinguendum : Aut inſtrumentalis poſſeſſio fuit capta nemine exiſtente in poſſeſſione, ſed non potuit propter impotentiam, vel impedimenta realiter & corporaliter apprehendi & continuari, & tunc ſufficit inſtrumentalis ſeu verbalis poſſeſſio in conſpectu rei *l.* 1. *§. ſi juſſerim ff. de acq. poſſ. Milis in repert. verbo poſſeſſio* : tunc acquiritur per aſpectum : quæ operatur actualem illius poſſeſſionem *teſte Rota deciſ.* 301. *in no. Rom. conſ.* 337. *incipit. Quod primum n.* 6. Ideoque locus erit huic Regulæ ; & inſtrumentalis poſſeſſor præferetur non poſſeſſori. Aut tertius erat in poſſeſſione, contrà quem non agitur neo ipſe agit, & etiam inſtrumentalis poſſeſſor contrà nullo modo poſſeſſorem videtur potior, in quo tamen articulo Mandoſius non determinat; quem etiam vide *q.* 24. ubi ſcribit hanc Regulam tantum loqui de poſſeſſore beneficii, qui actu illud poſſidet, fructus percipiendo &c. cum beneficium non cenſeatur habere ſeu poſſidere, qui non percipit illius fructus, *Collectar. in c. ſi tibi Conceſſo de preb. in* 6. *& ibidem Mand. in quæſt.* 23. ubi diſputat quid in poſſeſſore vigore Brevis. 39

*Præſentes in Curia* ) Quod accipiendum de iis , qui vel ſummo Pontifici, vel Cardinalibus, & aliis Prælatis obſequia præſtant, non etiam de iis, qui in Curia nihil operantur, cenſet Mandoſius ; in quo tamen ego ſubſiſto : cum multa privilegia exiſtentibus in Curia, utpote loco privilegiato, ſint conceſſa. Unde Romana Curia habet privilegia aliorum generalium ſtudiorum etiam circà abſentes ab eorum beneficiis quod percipiant fructus in abſentia *cap.* 2. *de Privileg. in* 6 *& cap. fin. de Reſcript.* De præſentibus autem multó magis: tum propter loci dignitatem, tum propter infinitos labores , quos permulti inibi ad extremumuſque ſpiritum, & plerumq; incaſſum expromunt, juxtà vulgare verbum in Urbe : *Roma ſcortica gli vecchi ; amazza gli jovani.* Præſentes autem intelligendi, qui actu præſentes ſunt, non qui per fictionem , ut illi qui cauſſa ſedis Apoſtolicæ abſunt : nam hi non gaudent prælatione in hac Regula mentionata, licet aliis privilegiis, de quibus jure cautum eſt potiantur *Felynus in c. Clerici n.* 5. *de Judiciis.*

*Et Ordinarius* ) Hanc quæſt. pluribus in utramq; partem diſputatam habes apud Mand. *hic q.* 34. qui videtur probare argumenta Alphonſi noſtram ſententiam impugnantia, de qua ante.

*Non beneficiatus* ) Sed quid in non ſufficienter beneficiato ? Non diſplicet 40

opinio

opinio eorum qui aſſerunt idem reſpondendum eſſe ad effectum hujus reg. quia cum ex proprietate verborum beneficiati etiam non ſufficienter, beneficiati vero dicantur, & verba non diſſonent, conſequens eſt diſpoſitioni hujus Regulæ locum eſſe, *l. ita autem in pr. ibi Bart. ff. de Adminiſt. tut. c. Indemnitatibus §. po. de elect.*

P *Beneficiato* ) Beneficiati appellatione an veniat penſionarius ad effectum hujus reg. diſputant nonnulli: ego breviter cum negantibus ſentio: quia cum Regulæ Cancellariæ ad inſtar ſtatutorum ſtrictam tantum recipiant interpretationem *Caſſad. Deciſ. 16. n. 5. & deciſ. 25. n. 6. de præb.* & jure communi penſiones beneficii appellatione non comprehendantur, dicimus non beneficiatum non præferri penſionario concurrenti in eadem data *per text. in cap. quamvis 4. de præb.* ubi ſi Pontifex mandat provideri alicui uſq; ad certam ſummam, voluiſſe non in penſione, ſed in beneficiis Eccleſiaſticis tantum provideri cenſendus eſt, niſi in literis quoq; expreſſa inveniatur mentio penſionis: imò in ſpecie & in materia Regularum Cancell. Penſiones & beneficia pro diverſis poni tradit Gig. *tract. de penſio. q. 67. ſub finem* & Creſcent. *deciſ. 49. incip. Penſio in materia ſtricta alias 8. tit. de Penſio.* Alias ubi non verſamur in materia ſtricta, & odioſa, beneficii appellatione venit penſio teſte Caccialupo *tract. de penſio. q. ult. n. 2.* Gigas *eod. tract. q. 28 n. 2.* Quid in intruſo? Mandoſ. hic *q. 39. n. 3.* rejecta contraria opinio er. ſolvit non beneficiatum præferri intruſo tanquam beneficiato: cum omnis beneficiatus is dici poſſit qui beneficium tenet, juſtè, ſive injuſtè, *Rota deciſ. 273. Nota quod ubi Papa in Antiq. Archid. in c. ſi ſententia de ſent. ex comm. in 6.* quo ſtat etiam ratio: quia ſi non beneficiatus præfertur beneficiato juſto & probo, multo magis beneficiato injuſto & improbo. Prætereà, quia intruſus non fruitur fructibus beneficii, quod ſatis eſt ad effectum hujus Reg. cujus ratio in eo verſatur, ne unus plura beneficia poſſideret, alter nullum, *contrà Diſpoſ. in c. 1. & ſeqq. 21. q.*

Q *Oriundus* ) Etiamſi ſit ortus, ſive natus tantum, & aliunde oriundus, vel contrà: quia utrobiq; militat eadem regulæ ratio, quæ vult originarios exteris præferri *ut in l. Divus ff. de Tut. dat ab his l. ff.* C. *de off. prætor c. neminem 70. Diſt. l. in Eccleſiis C. de Epiſ. & Cler. Inno. in Cap. quia Diverſitate ſub fi. de Conceſſ. præb.* ... *in Cap. ad Decorem ſub fi. de inſtit. fran. de Ripa tract. de peſte tit. de Remed. ad Conſerv. 153. in fi. verſ. ſi beneficia Civibus magis qum forenſibus ſunt conſerenda.* quod intelligendum eſt cæteris paribus ut in Regula noſtra, quod idem eſt in diœceſano.

*Diœceſanus* ) In jure noſtro Diœceſis ε᾽πλάτι pro provincia ſumitur

R apud Alciatum in *l. Pupillus §. Territorium n. 51. ff. de Verb ſignif* licet etymon nominis deſignet adminiſtrationem, gubernationem ἀπὸ τοῦ διοικεῖν quod eſt gubernare.

gubernо. Propriè & ſtrictè diœceſes, ſunt præſulum, in quas adminiſtrandi officii ſui liberam habent poteſtatem, propter quod diœceſani Epiſcopi vocantur c. Cum non liceat. de præſcript. Clem. unica §. volumus cum gl. in verbo diœceſani de foro compet. de quibus regula noſtra non loquitur, ſed de iis qui ſub diœceſi ſeu territorio ſunt Epiſcopi ibique domicilium habent, licet alioqui aliundè ſint nati *Philip. franc. in c. ſtatutum §. cum verò num. 13. de reſcript. in 6.* Hi enim propriè ſunt diœceſani, *Felii in cap. Rodolphus de reſcript. col. 6.* utpote ſub diœceſi Epiſcopi. Di- 47
œceſis enim dicitur diſtinctio confinium Epiſcopativum *cap. Epiſcopum 7. q. 1. & tit. Archidiac. in pr. cap. Unio 10. q. 3.* Sed quid in diœceſano privilegiato, ſeu eo qui ex privilegio diœceſanus factus eſt? dicendum talem etiam præferri non diœceſano, cum ſtatuta etiam non extendantur ad caſum privilegiatum *Bald. in l. ſive poſſidetis col. 2. verſ. contrarium C. de probat. Jaſ. in l. ſi is qui num. 306. & ſeq. verſ. octavo adde ff. de uſu cap.* An autem diſpoſitio de diœceſi loquens comprehendat etiam Civitatem, vide latè Felii. *in c. Rudolphus n. 8. de reſcript.* & Gemin. *in c. fœlicis n. 6. de præb. in 6.*

S *In reliquis verò)* Hæc eſt ſeptima prærogativa hujus Regulæ, videlicet præſentatio literarum: quod intellige, ut is qui primùm præſentavit literas Apoſt. executoribus, præferatur aliis prærogativis, quam in hac reg. expreſſis, puta prærogativatis de jure communi, vel conſuetudine aut privilegio, ut inter duos nobiles duos milites ſancti Petri, duos ſcriptores Apoſtolicos, duos Canonicos, & ſimiles ut nimirum iſti præferantur, qui primùm literas Apoſtolicas præſentarunt; atq; hoc vult ultima pars hujus reg. ib. *In reliquis verò.* Idemq; dicendum in duobus Preciſtis notavi ad Indultum Precum Cæſaris *Sectio. 2. in gl. verbi. Quod ſi per tt. verſ. Quarto quæritur.* 48

T *Præſentatio litterarum)* Quod per præſentationem litterarum executori Apoſtolico factam, acquiratur prærogativa concurrenti in eadem data, probatur claè per not. Rotæ *deciſ. 100. incip. ſi unus in No. & deciſ. 462. incip. nota quod gratiæ in Antiq.* Non enim datur executori optio alterum recipiendi: quod ſecus eſt in Ordinario Collatore *Geminia. in c. Duobus de reſcript. in 6.* Quid autem dicemus in 49
priori præſentante, qui eſt in poſteriori data? vide latè Felii. *in c. Capitulum n. 5. de reſcript.* neque n. eſt caſus noſter qui verſatur in concurrentibus in eadem data.

U *Motu proprio)* Habens gratiam motus proprii non ſolum præfertur non habenti, ſed etiam omnibus aliis in hac regula nominatis, ut tradit Caſſador. *deciſ. 9. de præbend.* ubi *num. 2. & 3.* ſcribit quod ordo ſcripturæ deſignat ordi- 50
nem voluntatis proceſſus & charitatis *l. quoties in pr. ff. de Uſufru. l. Gallus §. quidam rectè ff. de lib. & poſthu.* Unde in Regulis Cancellariæ hoc patet, inquit, quod in eadem regula priores in ſcriptura, ſunt in jure potiores, & prærogativæ juxtà ordinem potentiores, prout patet in illa quæ ponit cellulas illuſtrium



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in primo gradu & ſucceſſivè aliorum, & alio de concurrentibus in impetratione beneficiorum vacantium, aut certo modo vacaturorum, habentes motum proprium præferantur non ſolum non habentibus, aliàs graduati non graduatis, & ſic de aliis, ſed etiam vincunt omnes alias prærogativas, quotquot ſunt, *Idem Caſ. deciſ. 14. in fi. d. tit. de præb. & Jo. And. in c. duobus de reſcript. in 6. n. 5. inſi.* ubi dat rationem hanc, quod gratia motus proprii pleniſſimam recipiat interpretationem *per c. ſi pluribus de præb. in 6.*

X *Per hanc Regulam*) In qua nimirum graduati ante poſſeſſores nominantur, debet enim attendi ordo ſcripturæ ut diximus & latè oſtendit Felii *in c. cum Dilecti n. 4. & 5.* ubi variè poſitionem hanc limitat de reſcript. unde ſcriptum relinquit Baldus, primum in ordine ſcripturæ dici potiorem in tempore *in l. de rebus C. de Donat* potior autem in tempore potior eſt jure, & alios excludit *l. 2. C. qui pot. in pig. hab cap. qui prius de reg. jur. in 6.*

Y *Nobili*) An Cardinali? vide fuſiſſimè Mand. *ad. reg. 16. q. 52. per tot.* multimodis diſtinguentem.

# ARGVMENTA IN REG. XVI. INNOCENT. VIII.

1. PRinceps per quamcumq; comiſſionem non tollit jus quæſitum alteri.
2. Fallit in Papa, qui de plenitudine poteſtatis in beneficialibus ad poteſt.
3. Limitatur, dummodo aliud viciſſim conferat beneficium.
4. Motus proprius an ſubjaceat diſpoſitioni hujus reg.
5. Præſens reg. aucta eſt per Paulum III. & ſequentes ab eo Pontifices.
6. Clauſula in reſcriptis apponi ſolita dummodo tempore datæ præſentium non ſit alteri jus quæſitum, importat conditionem & gratiæ effectum ſuſpendit.
7. Reg. hæc præſervat jus quomodolibet quæſitum directè vel indirectè.
8. Etiam non obſtante contraria declaratione.
9. Papa non cenſetur velle derogare juri in re vel ad rem.
10. Per mandatum ſecundum non tollitur primum etiamſi in eo ſit clauſula anteferri, quod verum niſi Papa derogaverit hunc reg.
11. Supremus Princeps ſcienter diſponens contrà jus tollit juris obſtaculum.
12. Hinc poteſt tollere rem judicatam & ſententiam in favorem alicujus, licet non poſſit tollere Dominum.
13. Quot modis quæratur jus ad rem, & jus in re.
14. Nihil intereſt ad effectum hujus reg. ſi ſit jus quæſitum principaliter, an verò in conſequentiam.
15. Clauſula dummodo tempore datæ præſentium non ſit jus alteri quæſitum habetur ſemper pro appoſita, ſive Papa conferat, ſive alius ipſius auctoritate & n. 16.
16. Omnes clauſulæ de ſtylo & conſuetudine

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN